

atur, ut ratio denominandi falsa est major, licet minor sit vera. Unde cum semper altera premissarum sit falsa, nihil concluditur. Hæc distinctione nunc assignata in terminis simplicibus sic ut poteris, prædicabile de speciebus dupliciter, formaliter et denominative, quod prædicatur de homine et bove denominative est animal: quod autem prædicatur formaliter de homine et bove, est genus, de prædicabili nominative falsa est minor, de prædicabili formaliter falsa est major. Hæc dicta cum applicaveris ad speciem respectu individuorum ad differentiam, proprium, et accidens, et reliqua hujusmodi, solves multas objectiones, et illucescet tibi veritas multarum propositionum, quæ obscura apparent. Residuum capituli est Epilogus: per se patet et cetera.

CAPUT V

Quod simplicium substantiarum essentia minime sit ex materia et forma quid compositum, sed tantum forma, non item comparetur compositorum essentia, et quod ex esse et essentia sit composita. Quod denique intelligentiæ effectivæ sint a Deo ex actu et potentia composita, multipliciter ostendit.

Nunc restat videre secundum quem modum essentia sit in substantiis separatis, scilicet in anima, intelligentiis, et causa prima. Quamvis autem causæ primæ simplicitatem omnes philosophi concedant, tamen compositionem materiæ et formæ in intelligentiis et animabus quidam timentur ponere, ejus positionis fuisse dicitur Avicebra Auctor libri Fontis vitæ. Hoc autem dictis philosophorum reperitur quid esse contrarium, quia eas substantias a materia separatas nominant, et absque omni materia esse probant, ejus demonstratio potissima est ex virtute intelligendi, quæ in eis est. Videmus enim formas non esse intelligibiles in actu, nisi secundum quod separantur a materia, et a conditionibus ejus, nec efficiuntur intelligibiles in actu, nisi per virtutem substantiæ intelligentis, secundum quod recipiuntur in ea, et secundum quod aguntur per eam: unde oportet, quod in qualibet substantia intelligente sit omnimoda immunitas a materia, ita quod nec habeat materiam partem sui, neque etiam sit sicut forma impressa materiæ, ut est de formis materialibus.

Hic incipit tractatus secundus hujus operis, intendens in duobus capitulis tradere notitiam de essentis substantiarum simplicium, quemadmodum tradita est de essentis substantiarum compositarum. Facit autem sex in presenti capitulo. Primo declarat, quod essentia in simplicibus non significat compositum quid ex materia et forma, sed formam tantum. Secundo comparat illas essentias essentis substantiarum compositarum. Tertio ostendit tales substantias esse compositas ex esse et essentia. Quarto declarat intelligentias habere esse effective a Deo. Quinto ostendit eas esse compositas ex actu et potentia. Sexto de multitudine eorum agit. Premissa igitur primo concordat sententia philosophorum de simplicitate omnimoda primæ causæ, et quibusdam dissentientibus circa immaterialitatem intelligentiarum adductis. Contra hos

talem conclusionem ponit: Omnis substantia intellectualis est immaterialis, id est non composita ex materia et forma, et independens a materia: quam sic probat, Omne patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu est immateriale: omnis substantia intellectualis est patiens, vel agens, vel recipiens, vel habens in se intelligibile in actu: ergo omnis substantia intellectualis est immaterialis. Major quoad tres sui partes ex eodem modo probatur, scilicet ex hoc quod intelligibile in actu oportet esse immateriale, III de Anima, text. comm. xi et xv; agens autem rem immateriale oportet esse immateriale, eo quod agens non potest esse ignobilius suo effectu, ut dicitur III de Anima, text. comm. xviii, et text. comm. xl; recipere quoque immateriale non potest nisi res immaterialis, ut patet III de Anima, comm. v; unumquodque recipitur per modum recipientis: et per idem immotescit, quod habere non potest nisi res immaterialis immateriale cognoscibile in seipsa. Minor autem ab omnibus conceditur. Frustra enim esset substantia intellectualis nisi aliquid intelligeret, cum unumquodque sit propter suam operationem, ut dicitur II Celli, text. comm. xvii.

Nec potest dicere aliquis quod intelligibilitatem non impedit materia quælibet, sed materia corporalis tantum: si enim hoc esset rationale materiæ corporalis tantum, cum materia non dicitur corporalis, nisi secundum quod stat sub forma corporea, tunc oporteret, quod hoc haberet materia a forma corporali, scilicet impedire intelligibilitatem. Et hoc non potest esse, quia et ipsa forma corporalis actu intelligibilis est, sicut et aliæ formæ, sed quod a materia abstrahuntur. Unde in anima intellectiva et intelligentia nullo modo est compositio ex materia et forma: ut hoc modo accipiatur materia in eis sicut in substantiis corporalibus, sed est ibi compositio formæ et esse. Unde in commento nonæ propositionis libri de causis dicitur, quod intelligentia est habens formam et esse, et accipitur ibi forma pro ipsa quidditate, vel essentia simplici.

Quia posset aliquis credere rationem factam recipere responsum: ideo intendit hic excludere responsum, quia posset imaginari sufficiens. Ad hoc posset aliquis distinguere de materia corporali et materia simpliciter, et dicere quod major est vera de materia corporali, non autem de materia simpliciter, et consequenter concedere, quod omnis substantia intellectualis est immunis a materia corporali, non autem a materia, quia non materia, sed materia corporalis impedit intelligibilitatem in actu.

Contra hanc fugam instatur ratione ducente ad impossibile sic: materia corporalis impedit intelligibilitatem per se: ergo forma corporalis est id unde materia habet, quod impedit intelligibilitatem: hoc est impossibile: ergo a destructione consequentis, etc. consequentia est nota ex terminis. Cum enim materia corporalis duo dicat, scilicet ly materia, et ly corporalis, et ex ly materia secundum adversarium non impeditur intelligibilitas in actu, restat quod hoc impedimentum sit ex ly corporali: sed ly corporalis nihil addit supra materiam, nisi formam corpoream: ergo ex forma corporali seu corporea oritur, quod materia impedit intelligibilitatem in actu. Falsitas autem consequentis pro-

batur sic : omnis forma non concepta cum materia est actu intelligibilis : patet ista ex III de Anima, text. comm. XI. Forma corporea est forma secundum se non concepta cum materia, accipitur enim distincta contra materiam : ergo forma corporea secundum se est actu intelligibilis. Tunc ultra, Nihil secundum se actu intelligibile ex se impedimentum præstat intelligibilitati : forma corporea est hujusmodi : ergo forma corporalis non est id unde materia impedimentum intelligibilitatis sumat : quod erat probandum. Est igitur tam anima intellectiva, quam intelligentia quælibet non composita ex materia et forma. Si accipiamus compositionem ex materia et forma univoce, prout scilicet materia et forma nominant partes essentielles rei, quemadmodum dictum est, substantias aliquas esse compositas, in præcedentibus, sed est in eis aliud genus compositionis, scilicet ex forma et esse : de quo infra erit sermo : et sic habetur prima pars intenti, scilicet quod essentia in substantiis intellectualibus non significat compositum quid ex materia et forma. Remanet ergo modo declarandum, quomodo significet formam tantum : propterea subjungit :

Et quomodo hoc sit, planum est videre. Quæcumque enim ita se habent ad invicem, quod unum est causa esse alterius, illud quod habet rationem causæ, potest habere esse sine altero, sed non convertitur. Talis autem invenitur habitudo materiæ et formæ, quod forma dat esse materiæ, et ideo impossibile est esse aliquam materiam sine forma : tamen non est impossibile esse aliquam formam sine materia ; forma enim non habet in eo, quod forma dependentiam ad materiam, sed si inveniantur aliquæ formæ, quæ non possunt esse nisi in materia, hoc accidit eis secundum quod sunt distantes a primo principio, quod est actus primus et purus. Unde illæ formæ, quæ sunt propinquissimæ primo principio, sunt formæ per se sine materia subsistentes : non enim forma secundum totum genus suum materia indiget, ut dictum est, et hujusmodi formæ sunt intelligentiæ, et ideo non oportet ut essentia, vel quidditates harum substantiarum sint aliud, quam ipsa forma.

Intendens in his verbis declarare, quomodo essentia in substantiis simplicibus significet formam tantum, tali ratione hoc probat : quæcumque ita se habent, quod unum est causa esse alterius, et non e converso, illud quod habet rationem causæ, potest esse sine altero : sed forma et materia ita se habent, quod forma causat esse materiæ, et non e converso : ergo forma potest esse sine materia, et materia non sine forma. Tunc ultra : essentia intelligentiarum non est composita ex materia et forma, et non potest esse materia tantum, ergo est forma tantum.

Et nota quod major propositio potest dupliciter intelligi. Uno modo sic, quod id quod est causa alterius, etc., idem numero potest esse sine altero, et sic non assumitur a nobis, quia est falsa et extra propositum. Falsa quidem, quia subjectum causat esse propriæ passionis, et non e contra, et tamen subjectum non potest esse sine propria passione. Extra propositum vero, quia nolumus concludere, quod forma, quæ est in materia, sit sine materia, sed quod aliqua forma non exigit materiam. Alio modo intelligitur major, quod id quod habet rationem causæ

secundum suum ordinem, potest esse sine altero, id est secundum aliquod sui ordinis potest reperiri sine altero, et sic est vera, et ad propositum. Vera quidem, quia causa cum independens sit a causato, consequens est, ut aliquod pertineas ad suum ordinem possit habere esse extra causatum. Ad propositum vero, quia intendimus concludere, quod forma secundum suum genus non dependet a materia, ita quod aliqua forma potest inveniri separata. Unde et in minori notanter non assumitur forma materialis seu habens esse in materia, sed forma sine additione aliqua ad insinuandum, quod loquimur de forma, ut forma est, non ut talis vel talis. Patet autem minor illa ex IX Metaph., text. comm. XIII et XV ubi habetur quod actus est prior potentia simpliciter et independens ab ea. Ex eo enim quod forma essentialiter est actus, materia autem essentialiter potentia, si actus secundum totam suam latitudinem non dependet a potentia, consequens est quod forma secundum totum suum ordinem non dependeat a materia. Materiam autem cum essentialiter sit potentia, necesse est dependere a forma, sine qua actualitas non invenitur : et sic patet minor, quia a forma absolute, in eo quod forma, dependet materia in suo esse, sicut potentia ab actu, et non e converso. Quod vero alicui actui conveniat, quod non invenitur nisi receptus in aliqua potentia, hoc est ex ejus imperfectione, et non habet hoc in eo, quod actus : et similiter quod aliquæ formæ non sint nisi in materia, hoc habent ex sua imperfectione, quæ attenditur penes distantiam a primo principio Deo glorioso, et propinquitatem ad primam materiam : unde tales formæ non solum causant esse materiæ, sed et ipsæ causatæ sunt quoddammodo a materia. Causæ enim sunt sibi invicem causæ, ut dicitur II Phys., text. comm. XXX. Essentia igitur substantiarum intellectualium est immaterialis et forma tantum.

QUÆSTIO VIII

Num materia possit esse sine forma.

Circa hanc partem occurrit quæstio, et hæc est octava : an materia possit esse sine forma. In hac quæstione tria facienda sunt ; primo ponetur Scoti opinio ; secundo ponetur opinio S. Thomæ ; tertio respondetur rationibus in oppositum.

Quoad primum Scotus in II Sent. dist. XII, quæst. II, opinatur posse materiam esse sine forma, arguitque ad hoc probandum multipliciter.

Primo sic, Non minus dependet accidens a substantia quam materia a forma : sed accidens potest esse sine substantia, ut patet in Sacramento altaris. Ergo materia potest esse sine forma.

Præterea, Absolute distinctum et prius alio absolute potest esse sine illo absque contradictione : materia respectu formæ est hujusmodi : ergo potest esse sine forma : minor est evidens, major probatur, quia prius in eo quod prius, non dependet a posteriori, et accipitur hoc ex V Metaph., text. comm. XVI, priora sunt, quæ possunt esse sine aliis, alia non sine ipsis.

Præterea, Quicquid absolutum facit Deus in creaturis mediante causa secunda, quæ non est de essentia causati, potest facere sine illa : sed materiam Deus facit mediante forma, quæ non est de essentia ejus, ergo potest facere sine illa.

Præterea, Quicquid Deus immediate creat, immediate conservat vel conservare potest: sed materiam Deum immediate creat; ergo immediate conservare potest, ergo sine omni forma.

Præterea, Cum nihil Deus extra se necessario velit, ex hoc quod vult materiam esse, non est necesse quod velit formam esse, nisi propter necessariam connexionem utriusque: sed inter materiam et formam non est talis necessaria connexio; ergo, etc. Quod autem non sit talis necessaria connexio inter materiam et formam, probatur: quia tunc sequeretur, quod materia determinaret sibi necessario aliquam determinatam formam. Probatio consequentia, quod determinat sibi genus formæ determinat sibi aliquam speciem in genere illo, et quod determinat sibi speciem, determinat sibi esse in aliquo individuo illius speciei; omne enim quod de necessitate est homo, necessario est hic vel ille homo: consequens autem est falsum, materia enim nullam sibi determinat formam: ergo relinquatur, quod materia non determinat sibi genus formæ ad hoc quod sit. Confirmatur; quicquid contingenter se habet ad quodlibet generis absoluti, contingenter se habet ad id genus absolutum: sed materia contingenter se habet ad quamlibet formam: ergo materia contingenter se habet ad genus formæ. Probatur adhuc, quod si materia sibi determinat de necessitate genus formæ, quod etiam de necessitate determinat sibi unum individuum solum illius generis: quia unum essentialiter ejusdem generis: materia autem est una essentialis et singularis: ergo impossibile est, quod dependeat a pluribus formis ejusdem generis: et sic si necessario determinat sibi genus formæ, necessario quoque determinabit sibi aliquam unam formam, quod falsum est. Hæc de primo.

Quoad secundum S. Thomas in I parte, quæst. XCVI, art. 1, et in quæstionibus de potentia Dei, quæst. IV, art. 1, et in quolibet quæst. III, art. 1, confirmat id quod hic dicit, scilicet materiam non posse esse sine forma duabus rationibus.

Prima est dicens ad impossibile sic, si materia existeret absque omni forma, materia simul esset, et non esset: hoc implicat contradictionem, ergo: probatur consequentia quoad secundam partem, quia quoad primam ab adversariis conceditur. Impossibile est effectum formalem separari a forma: sed existere est effectus formalis formæ; sic enim diffinitur, forma est quæ dat esse rei; ergo impossibile est ponere existentiam sine forma. Sicut enim impossibile est esse album sine albedine, ita esse in actu sine actu: actus autem primus, cuius est dare esse, idem est quod forma. Ex illa ergo propositione, Materia existit absque omni forma, sequuntur duo contradictoria simul vera: ex eo enim quod materia existit, sequitur quod sit in actu: ex eo autem quod est absque omni forma, sequitur quod non sit in actu. Huic rationi dat Scotus quamdam responsum, quæ quia non nisi chimerica, et tanquam indigna, de qua verba fiunt, omittatur; quolibet enim profereute contraria sollicitum esse stultum est: ait Aristoteles a quo didicimus in libro IX Metaph. quid sit actus et quotiens.

Secunda ratio S. Thomæ ad hoc idem est ista: Omne individuum determinatum ad genus completum vel incompletum in rerum natura per se existens est in aliqua certa specie per se vel reductive: materia sola neque per se neque reductive est in aliqua certa specie: ergo materia sola non potest esse individuum quocumque in rerum natura.

Minor est ex se clara, non enim facile esset fingere, in qua determinata specie esset materia sola. Major probatur ex eo quod individuum omne tam completum, quam incompletum, si per se vel reductiva separatum (quod dico propter individuum generis, ut hæc substantia, hoc animal, etc.), non continetur sub genere per se vel reductive immediate, sed mediante specie: inter genera enim et individua media species, et inter principia generis et principia individui mediant principia speciei pariformiter. Insuper hæc major potest probari ad hominem assumendo dicta Scoti v arg.; ibi enim ipse expresse assumit, quod quicquid determinat sibi genus aliquod, determinat sibi aliquam certam speciem illius generis. Et potes etiam ex dictis Scoti ibi arguere ad hominem, et probare oppositum intenti sui sic: Quidquid determinat aliquod genus determinat sibi aliquam certam speciem illius generis: materia sola determinat sibi genus substantiæ, ergo determinat sibi aliquam certam speciem substantiæ saltem reductive, ergo materia sola esset in aliqua certa specie: hoc est falsum: minor est omnium, et processus bonus; ergo, etc.

Hanc veritatem approbat Aristoteles (ut ipse Scotus confitetur) loco allegato. Sed quia dicit ex falso fundamento Aristotelem hanc conclusionem tenuisse, scilicet ex hoc, quod Deus non potest agere sine causis secundis: ostendo in hoc, Scotum errare ex dictis Comm.: II enim Phys. Comm. XII Aver. ex eodem præcise fundamentum quod S. Thomas adduxit in prima ratione, tenet istam conclusionem. Ubi nullam fieri mentionem de connexionem causalitatis primæ causæ apparet, sed tantum de actu et potentia: ita quod ex natura actus et natura primæ materiæ, quæ est pura potentia, concluditur Aver. quod duo contradictoria essent simul vera, ut deductum est, etc. Avicenna quoque in II Metaphysicæ suæ, capitulo III, tenet conclusionem Scoti esse impossibilem: et tamen posuit expresse materiam esse creatam. Unde hæc tanquam destructiva metaphysicalium principiorum vitanda est. Hæc de secundo.

Quoad tertium respondeo. Ad primum negatur imperfectus ab actu perfectio dependet potentia pura ab actu, quam actus imperfectus ab actu perfectio. Sed contra hoc instat Antonius Trombeta sic: magis dependet posterius a priori, quam prius a posteriori: sed accidens est posterius substantia: materia autem est prior forma; ergo magis dependet accidens a subjecto, quam materia a forma. Forte diceretur (ait) quod materia non est prior sed posterior forma. Contra: nam licet materia sit posterior forma ordine perfectionis, est tamen prior ordine generationis: et consequenter prior simpliciter: ut arguatur sic, Quocumque sunt aliqui duo ordines, quorum unus simpliciter est prior altero, quicquid est in ordine priori est simpliciter prius quocumque existente in ordine posteriore: sed ordo originis et ordo perfectionis ita se habent, quod ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis (et hoc in natura limitata) ergo quicquid est prius origine, est prius simpliciter quocumque priore ordine perfectionis: sed ita est, quod materia est prior origine forma, licet forma sit prior perfectione, ergo materia est simpliciter prior forma. Processus bonus, et major probatur: quod scilicet ordo originis est simpliciter prior ordine perfectionis; nam priora generationis sunt posteriora perfectione: natura enim semper procedit de imperfecto ad perfectum; ergo quicquid est imperfectus forma; prius quocumque perfectiori: sed materia prima est imperfectior forma; ergo materia prima est simpliciter prior forma. Tunc ultra, Est simpli-

citer prior forma, et omne prius in suo priori potest esse sine posteriori; ergo, etc.

Ad hoc respondetur triplici responsione, ad insinuandum argumenti multiplicem defectum.

Primo dicitur, quod forma, licet sit posterior materia ordine generationis, est tamen prior etiam ordine generationis materia existente. Magni enim referi dicere materiam, et materiam existentem : sicut superficies est prior albedino, albedo tamen est prior superficie habente esse album; unde in proposito cum sermo fit de materia existente (si enim penetraret materia sola in rerum natura oportet ipsam existere) patet falsum assumi.

Secundo, dicitur quod aliud falsum ibi assumitur, scilicet quod ordo generationis sit simpliciter prior ordine perfectionis, stando infra limites naturae finitae; cum enim actus sit prior potentia simpliciter, tam si ponatur Deus finitus, quam infinitus : ut patet ex IX Metaph., text. Comment. xv et xii, et text. Comment. xxx, et prioritas actus sit prioritas perfectionis, consequens est quod secundum Aristotelem et veritatem ordo perfectionis sit simpliciter prior ordine generationis. Amplius, id quod est prius natura ratione et tempore, est simpliciter prius; ordo perfectionis est prior natura ratione et tempore ordine imperfectionis, qualis est ordo generationis, qui se tenet ex parte causae materialis : ordo igitur perfectionis est prior simpliciter, media quoque propositio est Aristotelis, VIII Phys., text. comm. LXXV, ubi expresse loquitur in natura finita ad probandum, scilicet motum circularem esse primum. Unde ad probationem : concesso, quod priora generatione sunt imperfectiora, et quod natura procedit de imperfecto ad perfectum, negatur consequentia, ergo ordo generationis est simpliciter prior : licet enim agens naturale prius attingat imperfectum, oportet tamen prius agens in se perfectum esse, ut dicitur in XII Metaph., text. comm. xi. Hic adverte tu, quod oportet mendacem esse memorem : in questione de i cognito, Ant. Trombeta, quas impugnat propositiones, has nunc assumit, etc.

Tertio dicitur, quod dato toto processu, ultima consequentia nihil valet; falsum est enim, quod omne prius possit secundum rem absolvi a posteriori quolibet (ut ad secundum dicitur.)

Sed contra primam responsionem, quae ponit materiam non habere propriam existentiam : sed eam mendicare a forma, instatur sic : cumcumque convenit actui causare pro aliquo signo, convenit et existere pro eodem signo : sed materiae primae in primo signo, quod recipit formam, convenit causare; ergo pro tunc sibi convenit existere : sed pro illo signo non habet existentiam formae, ergo propriam.

Et confirmatur, quia materia aut causat compositum, et recipit formam, quando existit, aut quando non existit : non quando non existit, ergo quando existit; ergo pro tunc convenit sibi propria existentia, quia existentia formae sequitur totum compositum. Et confirmatur secundo, quia causa non mendicat a suo effectu, materia autem causat existentiam compositi et formae; ergo non mendicat existentiam ab eis, etc.

Ad haec dicitur, quod sufficit causa pro quolibet instanti temporis quo actu causat habere existentiam : nec apparet necessarium, quod pro quolibet signo natura insit existentia sibi, quo inest causalitas : ordo enim naturae talis est in eodem instanti temporis, quod scilicet materia recipit formam, ex quibus resultat compositum, cui jam esse actualis

existentiae advenit, quo ipsum compositum primo, forma secundo, et materia tertio existunt. Ad formam autem primae instantiae negatur major. Ad primam confirmationem dicitur, quod materia causat, quando existit, quia pro omni instanti quo causat, existit : quando enim est terminus temporalis. Ad secundam confirmationem dicitur, quod licet causa ut causa non mendicat a suo effectu : tamen causa materialis mendicat a suo effectu, qui est ejus causa in altero genere causae : eo quod causa sunt sibi invicem causa, V Metaph., text. comm. ii. Oportet autem has responsiones a Scotistis admitti : quia cum Scotus ponat II sent. dist. iii, quaest. 3, existentiam esse ultimum actum posterioriorem tota coordinatione praedicamentali, licet non distinctum realiter a re ejus est, oportet essentiam materiae ex natura rei habere habitudinem ad suam existentiam, ut potentiam ad actum. Et tunc potest argui sic : Essentia materiae, ut distincta contra suam existentiam, causat ex natura rei in genere causae materialis suam existentiam, recipiendo eam : ergo sibi pro illo signo convenit existentia : et sic habet existentiam antequam recipiat eam, similiter stando in illo signo : aut essentia materiae recipit ex natura rei suam existentiam, quando est, aut quando non est, etc.

Ad secundum principale negatur major. Ad ejus probationem dicitur, quod non sola dependentia, sed necessaria conexio aliquorum potest esse causa inseparabilitatis eorum. Ad id, quod adducitur ex V Metaph., dicitur quod universalis affirmativa non convertitur simpliciter : ista enim est vera, quaecumque possunt esse sine aliis et alia, non sine ipsis sunt priora : sed non convertitur; quaecumque sunt priora, possunt esse sine aliis, et alia sine ipsis.

Et nota quod maxima illa Scotica, omne prius absolutum, etc., non potest salvari, etiam sequendo viam Scoti quod pro nunc ex duobus manifestatur. Primo ex eo, quod partes essentiales simul sumptae sunt priores toto : et tamen apud Scotum non possunt esse sine toto.

Secundo ex eo, quod praedicamentum quantitatis est absolutum prius praedicamento qualitatis, praesertim quoad quartam speciem ejus : et tamen non potest fieri quantitas continua sine figura. Si enim quantitas sine figura fieri dicatur, aut finita aut infinita : non infinita, quia illa non dabilis : et si forte imaginetur dari adhuc, cum oporteat esse lineatam, aut ergo linea recta aut curva, et sic esset figura : si finita, ergo figurata : figura enim est quae termino vel terminis clauditur, et similiter aut habet lineas rectas, aut curvas, aut circulares, etc.

Ad tertium quidquid sit de majori, negatur minor : forma enim etsi non sit de essentia materiae, est tamen de essentia materiae existentis.

Ad quartum dicitur, quod cum medium sit duplex effectivum et formale, quidquid immediate Deus causat effective, potest absque media causa effectiva conservare : non autem absque media causa formali, quale medium est forma respectu materiae.

Ad quintum negatur, quod inter materiam et formam non sit necessaria conexio. Ad ejus probationem negatur consequentia, ejus probationis falsa est major : per id autem quod additur, scilicet secundum quod necessario est homo, necessario est hic vel ille homo, nihil aliud habetur, nisi quod quia materia necessario determinat sibi genus formae, ideo materia non potest esse sine haec vel illa forma : quod est intentum nostrum. Non enim valet consequentia, A necessario est homo : ergo A necessario est hic vel ille determinate, sed vage : et sic conceditur,

materia necessario determinat sibi formam : ergo necessario determinat sibi hanc vel illam formam non determinate, sed vage.

Ad confirmationem, cum dicitur, Quidquid contingenter se habet ad quodlibet generis absoluti, contingenter se habet ad genus ipsum : eodem modo respondetur, distinguendo contingenter se habere ad quodlibet determinate vel vage. Primo enim modo falsa est maior. Secundo vero falsa est minor : materia enim non contingenter, sed necessario se habet ad quamlibet formam indeterminate, et vage.

Ad aliam probationem dicitur, quod unum essentialiter unum et singulare negative, sicut est materia prima, potest essentialiter dependere in esse a pluribus ejusdem generis indeterminate et vage, secundum quod illa plura habent unam rationem communem, sicut in proposito omnes formae conveniunt in hoc, quod dant esse actuale. Reflecte hoc argumentum contra Scotum de quantitate et figura, et forte persuadebis infirmitatem ejus : quantitas enim continua determinat sibi genus figure, nullam tamen sibi figuram vindicat. Hec de quarto.

In hoc ergo differt essentia substantiæ compositæ et substantiæ simplicis, quod essentia substantiæ compositæ non tantum formam, nec tantum materiam, sed complectitur formam et materiam : essentia vero substantiæ simplicis est forma tantum. Et ex hoc causatur dux alia differentie, et una est, quod essentia substantiæ compositæ potest significari ut totum, vel ut pars : quod accidit propter materiæ designationem, ut dictum est, et ideo non quomodolibet prædicatur essentia rei compositæ de ipsa re composita. Non enim potest dici, quod homo sit quidditas sua. Sed essentia rei simplicis, quæ est sua forma, non potest significari nisi ut totum, cum nihil sit ibi præter formam, quasi formam recipiens. Et ideo quocumque modo sumatur essentia substantiæ simplicis, de ea prædicatur. Unde Avicenna dicit, quod quidditas substantiæ simplicis est ipsummet simplex, quia non est aliquid recipiens ipsam.

In hac secunda parte capituli comparat essentias substantiarum simplicium essentis substantiarum compositarum, triplicem differentiam inter eas assignando. Prima differentia est, quod essentia substantiæ simplicis significat formam tantum, essentia autem substantiæ compositæ significat compositum quid ex materia et forma : utraque pars differentie patet ex supra dictis. Secunda differentia est, quod essentia substantiæ compositæ potest significari ut totum et pars, non autem essentia substantiæ simplicis. Unde oritur, quod quia prædicatum non debet habere rationem partis, quod essentia substantiæ compositæ quandoque prædicatur de ea, et quandoque non, cum scilicet significatur ut pars. Essentia autem substantiæ simplicis, quia ut pars denotabilis non est, semper prædicatur de eo, cujus est.

Ad evidenciam hujus differentie notandum : quia primo aspectu apparet falsa ex eo, quod patet, quod in positis nominibus substantiis separatis, possunt significari earum essentia in abstracto et in concreto, et consequenter ut totum et pars : possunt enim dicere, Gabriel et Gabrielitas, Deus et Deitas, etc. Sed licet ita appareat, diligenter tamen inspicienti oppositum illucescit.

Considerandum enim, quod loquimur de essentis rerum et conditionibus earum, quæ eas sequuntur, et non de illis, quæ ex solo opere intellectus fiunt; essentia enim substantiarum compositarum ex eo, quod duas partes realiter habent, seu ex eo, quod sunt formæ in materia, ex se habent, unde intellectus fundet in eis significationem per modum partis et per modum totius. Cum enim significat formam illam in habente seu deferente, significatur ut totum et concretum, ut homo : cum autem significat illam, non ut in habente seu deferente, sed per se, significat in abstracto et per modum partis, ut humanitas. Essentia autem substantiarum immaterialium, quia dicunt formas non receptas in materia, ideo ex se non habent quod significetur in concreto et in abstracto, ut totum et pars, etc. non enim est ibi deferens nec delatum. Sed quia intellectus noster intelligit res simplices et alissimas per modum rerum compositarum : ideo, ut dicitur Commentator, XII Metaph., comm. xxxix, et S. Thomas, I parte, quæst. 13, fuit necesse, ut in illis formaret abstractum et concretum, et intelligeret eas per modum totius et partis. Differentia ergo posita hic est cum additione intelligenda : sic quod essentia substantiarum compositarum ex se habet, quod significabilis sit per modum totius et partis; essentia autem simplicium ex se non habet quod significetur per modum totius et partis, sed ab intellectu tantum : et ideo diversitas, quæ inter abstractum et concretum in substantiis compositis est ex parte rei, et reductur ad distinctionem, quæ est inter subjectum deferens et formam delatam. Diversitas autem, quæ est inter abstractum et concretum in substantiis separatis, non est id ex parte intellectus : ut comment. iii dicit. Et propter hoc dicit Avicenna quod quidditas simplicis est ipsum simplex, et quidditas compositi non est ipsum compositum.

Circa hanc particulam est unum dubium, An verum sit, quod in substantiis separatis idem sit quidditas, et id, cujus est, id est natura et suppositum. Est autem ratio dubitandi : quia S. Thomas in quolibeto ii, quæst. ii, art. ii, dicit quod apud Aristotelem VII Metaph., tex. comm. xx et xxi, in his, quibus admiscetur aliquid accidens, natura et suppositum distinguuntur; et intelligentis aliis a prima aliquid accidens sit in omnibus excepta prima, natura et suppositum distinguuntur sive quidditas, et id cujus est. Ex alia parte, III de Anima, comm. ix, dicit in separatis a materia idem est, quod quid est et id, cujus est. Et in prima parte, S. Thomas, quæst. iii, art. 3, expresse hoc dicit, quod et apparet hic auctoritate Avicennæ.

Ad intellectum hujus difficultatis est notandum, quod cum nomine Naturæ intelligatur id quod per definitionem significatur : nomine autem Suppositi individuum habens illam quidditatem; secundum triplicem gradum substantiarum, in universo tripliciter invenitur differentia suppositi a natura.

In substantiis siquidem materialibus suppositum differt a natura dupliciter secundum rem, et ultra hoc secundum rationem. Differt primo modo intrinsece, quia aliquid reale suppositum sibi intrinsece includit, quod non includit natura, scilicet principia individuationis. Si enim Sortes diffiniretur, in ejus diffinitione poneretur hæc materia, quæ non ponitur in diffinitione naturæ humane. Differt secundo extrinsece, quia aliquid reale extrinsecum sibi includit suppositum, scilicet esse actuale existentie, quod non includit natura; existentia enim primo est actus

suppositi, cuius est fieri, quæ tamen caderet in diffinitione Sortis, si diffiniretur. Differt tertio secundum rationem, ut patet.

In substantiis autem separatis aliis a prima suppositum differt a natura duobus modis tantum, scilicet extrinsece secundum rem, et secundum rationem; nihil enim reale intrinsecum sibi includit suppositum in eis, quod non includat natura, quia non individuatur per aliquid positivum contrahens naturam specificam, quod sit velut differentia individualis supposito intrinseca, sicut est in substantiis materialibus. Sed quia in eis, ut patet, existentia differt realiter a natura, quæ primo, ut dictum est, est actus suppositi, ideo suppositum in eis differt extrinsece a natura: addit enim extrinsece realitatem existentie. Differt secundum rationem, ut patet. In Deo vero glorioso suppositum uno modo tantum differt, scilicet secundum rationem, quia nec natura divina individuatur per additum, nec existentia sua distincta est realiter ab ejus essentia: unde patet, quod utraque pars dubii est vera aliquo modo: et quod in substantiis separatis differunt secundum rem quod quid est, et id cuius est, quia extrinseca differentia differunt secundum rem; et quod sint idem, quia non differunt per aliquam intrinsecam differentiam realem: hæc autem esse mentem S. Thomæ diligenter inveniendi dicta ejus in locis allegatis facile innotescere potest.

Secunda differentia est: quia essentia rerum compositarum ex eo quod recipiuntur in materia designata, vel multiplicantur secundum divisionem ejus, contingit quod aliqua sunt idem specie, et diversa numero. Sed cum essentia simplicium non sit recepta in materia, non potest ibi esse talis multiplicatio. Et ideo non oportet quod inveniatur plura individua unius speciei in illis substantiis. Sed quotquot sunt individua, tot sunt species, ut Avicenna dicit expresse.

Hic ponitur tertia differentia in ordine vocata secunda inter eas quæ oriuntur ex prima, et dicitur quod differunt etiam in hoc essentia substantie compositæ et essentia substantie simplicis, quod essentia substantie compositæ est plurificabilis numero in eadem specie, sicut essentia humana distinguitur numero in Socrate et Platone. Essentia autem substantie simplicis, id est separatæ a materia non est plurificabilis in plura individua ejusdem speciei, sed quodlibet individuum constituit unam speciem, et distinguitur specificè ab alio. Et fundamentum ejus est in duabus propositionibus, quarum prima est, Cum actus sit, quod dividit et separat. VII Metaph., text. comm. XLVI, omnis divisio aut est formalis aut quantitativa: ut Aristoteles inquit, III Metaph., text. comment. II, et Commentator I Phys., comm. VI. Secunda est, Formæ specificæ sunt indivisibiles formaliter. Ex his enim deducitur quod formæ specificæ, quæ recipiuntur in materia, dividuntur ad divisionem materiæ per quantitatem, et sic fiunt multa individua ejusdem speciei. Forma autem specificæ non recepta in materia omni divisione caret: et formalis quidem ex eo, quod species specialissima est: quantitativa autem ex eo, quod non est recepta in materia, quam sequitur quantitas, et ideo non potest esse multa individua in eadem specie: multitudo enim divisionem sequitur.

QUÆSTIO IX

Num quælibet species substantiarum separatarum, unum tantum habeat individuum.

Circa hæc partem occurrit quæstio, An quælibet species substantiarum separatarum unum tantum habeat individuum. In hæc questione tria sunt facienda. Primo ponetur opinio Scoti cum fundamentis: secundo ponetur veritas Peripatetica: tertio respondebitur argumentis in oppositum.

Quoad primum, Scotus II Sentent., dist. III, quæst. VII, opinatur plures esse intelligentias ejusdem speciei talibus mediis.

Primo sic, Omnis quidditas quantum est de se est communicabilis: intelligentia est aliqua quidditas; ergo quidditas intelligentiæ est de se communicabilis; ergo potest inveniri in pluribus. Major probatur: quia si quidditas omnis non esset communicabilis; vel communicabilitas repugnaret ei ratione perfectionis quidditative aut imperfectionis: non ratione perfectionis, quia communicabilis, secundum fidem catholicam, convenit quidditati divinæ quæ summe perfecta est. Nec ratione imperfectionis, quia communicabilis convenit quidditatibus substantiarum compositarum, quæ sunt imperfecte. Cum ergo ratione neutrius repugnaret sibi, restat major vera.

Præterea, Omnis quidditas intelligibilis sub ratione universalis, absque contradictione est plurificabilis numero: quidditas separata est intelligibilis sub ratione universalis absque contradictione; ergo est plurificabilis numero. Major probatur ex eo, quod implicat intelligi sub ratione universalis, et esse de se hoc: est enim universalitas opposita hæcchæitati: sicut implicat intelligere essentiam divinam sub ratione universalis, quia est de se hoc.

Præterea, Deus potest hunc Angelum in hæc specie annihilare: isto annihilato, Deus potest speciem hæc reparare in aliquo alio individuo, non in eodem, secundum istam opinionem: quia secundum istos homo non posset resurgere idem numero nisi anima intellectiva remanente eadem numero; ergo in eadem specie erunt plura individua saltem successive.

Præterea, Animæ intellectivæ distinguuntur numero in eadem specie, et tamen sunt immateriales; ergo, etc.

Præterea, Aug. in Enchirido, cap. XXX, dicit, quod, quia tota natura seu species humana fuerat, ideo misertus Deus ad eam salvandam venit: non attem venit ad salvandam naturam angelicam, quia tota non ruit. Ecce, quod Aug. dicit totam naturam angelicam non lapsam esse per peccatum, quod non potest esse verum, si tot sunt species, quot sunt individua: sic enim multe naturæ angelicæ lapsæ totaliter essent, humana autem tantum una, cum humana non sit nisi una.

Præterea Damascenus in Elementario, cap. IX, dicit, quod secundum unamquamque speciem fecit Deus angelos.

Præterea, Arguit ad idem in quolibet, quæst. II, quod prædicta opinio est damnata Parisiis in pluribus articulis. Primus est, Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia, error. Secundus, Si quis dixerit formam non recipere divisionem sine materia, error. Ter-

tius, Quod quia intelligentia non habent materiam, Deus non possit ejusdem speciei facere plures, error.

Quod si dicatur, inquit Ant. Trombeta, quod ista sententia non est damnata ubique, dato quod Parisius sic sit: contra, nam sententia damnata in aliqua universitate famosa ubique est damnata, aut suspecta de heresi, non solum auctoritate dioecesani, sed etiam auctoritate domini Pape, ut patet extra de hereticis; capitulo ad abolendam. Hæc de primo.

CONCLUSIO

Quævis intelligentia constituit unam speciem.

Quoad secundum, veritas Peripatetica ab Arist. Comm. et S. Thoma accepta est, quod quælibet intelligentia constituat unam speciem: ita quod non possit ibi inveniri plura individua ejusdem speciei. Et S. Thomas quidem in questionibus disputatis de spiritualibus creaturis, art. 8, et in II contra Gent., cap. cxiii, et in prima parte, quest. I, art. 4, et alibi probat hoc multis rationibus, quarum duabus nunc utendum est.

Prima ex earum immaterialitate sumitur, unde omni principio distinctivo numeraliter erant: et formatur ratio sic. Omnis species habens plura individua, habet in se distinctivum numerale: intelligentia non habet tale principium distinctivum; ergo: minoris probationem habes supra immediate ante questionem. Et nota, quod hæc ratio est sumpta ex XII Metaph., text. comm. xlix, ubi fit hæc consequentia. Cælum, id est primum principium est unum specie et plura numero, ergo est materiale: unde expresse datur intelligi, quod immaterialitas est sufficiens causa non purificationis numeralis. Sed quia Scotus expresse dicit loco præallegato, quod opinio sua est contra Aristotelem, ideo omittam auctoritates.

Secunda ratio S. Thomæ est sumpta ex ordine universi fundata super tres propositiones, quarum prima est, Universum habens tres partes, scilicet spheram generabilium et corruptibilium, corpora caelestia, et substantias immateriales, habet pro bono intrinseco ordinem; hæc habetur, XII Metaph., text. comm. lxi.

Secunda propositio est, quod ordo est duplex, scilicet per se et per accidens. Ordo per se inter essentialiter ordinat, ut species quæ sunt sicut numeri VIII Metaph., text. comm. x. Ordo per accidens est inter individua ejusdem speciei: ut dicitur III Metaph., text. comm. xi.

Tertia propositio est, quod ea pars universi, in qua est ordo per se purus, est potior ea, in qua est ordo per se admixtus ordini per accidens, ex XII Metaph., text. comm. lxi, ubi comparatur prima pars universi filii familias, quibus nihil ordinatum per accidens inest. Super his propositionibus fundatur talis ratio, Id quod caret ordine per accidens non habet plura individua ejusdem speciei: suprema pars universi caret ordine per accidens; ergo non habet plura individua ejusdem speciei. Major ex terminis patet: minor licet ex Aristotele habeatur loco allegato: quia isti tamen negant Aristotelem in hac parte; sicut et alibi, ratione probatur sic: Non minus excludit ordinem per accidens suprema pars universi, quam media pars: cum suprema sit perfectior et bonitas universi in ordine consistat, et ordo per accidens sit imperfectum quid et

deficiens ab ordine per se, immo ordinatum per accidens est inordinatum, eo quod per accidens est conditio diminuens ratione ordinis, sed media pars excludit ordinem per accidens, ut patet: corpora enim caelestia non habent plura individua ejusdem speciei, non enim est nisi unus sol, una luna, etc., ergo suprema pars universi a fortiori excludit ordinem per accidens. Hæc de secundo.

Quoad tertium respondetur argumentis Scoti. Et ad primum quidem, ut terminos theologicos admisceamus, quia argumentum theologium est, dicitur quod communicabilitas est triplex. Quædam cum divisione essentie, sicut universale communicabile est particularibus. Quædam vero absque divisione aliqua essentie et esse per identitatem, sicut essentia divina communis est tribus suppositis. Quædam per assumptibilitatem ad hypostaticam unionem, sicut natura humana communicabilis est omnibus suppositis divinis. Si in præmissis Scotus assumit communicabile primo modo, falsa est major, patet in essentia divina. Si secundo modo, falsa etiam est major: nulla enim essentia creata est illo modo communicabilis. Si tertio modo, falsa quoque est major, ut patet de essentia divina. Si autem accipiatur communicabile neutro illorum modorum, sed pro communicabili in communi non descendendo determinate ad hoc vel illud communicabile, concessio toto argumento, non concluditur quod quidditas angelica sit communicabilis, sicut universale particularibus. Committitur enim fallacia consequentis a superiori ad inferius affirmative. Unde probatio adducta nihil contra nos facit. Communicabilitas primo modo repugnat intelligentiæ propter earum perfectionem. Communicabilitas secundo modo repugnat intelligentiæ propter earum imperfectionem. Communicabilitas tertio modo convenit eis ex earum imperfectione, quia esse distinguitur realiter ab earum essentia.

Ad secundum dicitur distinguendo majorem. Aliquid enim esse intelligibile sub ratione universalis convenit dupliciter. Uno modo ex parte rei et intellectus, ut verbis S. Thomæ utar. Alio modo ex parte intellectus tantum. Primo modo major est vera, et minor falsa. Secundo modo major est falsa, licet minor sit vera: cum enim universalitatis fundamentum ex parte rei sit inventio illius quidditatis in pluribus individuis simul vel successive. Fundamento vero ex parte intellectus sit presentatio illius quidditatis non representatis conditionibus individuationis, ut sic: illud est universale utroque modo, scilicet ex parte rei et intellectus, quod utroque fulcitur fundamento, sicut humana essentia est intelligibilis sub ratione universalis ex parte rei, quia ipsa est realiter divisa et inventa in multis et ex parte intellectus, quia representatur absque hic et nunc. Illud autem est universale ex parte intellectus tantum, quod altero tantum fulcitur fundamento, scilicet representatione, etc. Ita quod ejus universalitas ex hoc solo habetur, quod obiectum in intellectu ponitur, cui obicitur res secundum condiciones quidditativas non individuales ut sic: et hoc modo quidditas intelligentiæ est universalis. Licet enim individuale et specificum esse ibi idem habeat principium: quia tamen representatur ut talis res non ut hoc, quia non representatur secundum quod in se est, sed secundum modum rerum compositarum, in quibus aliud est natura, et aliud est individuum illius nature: ideo est universalis, ut obiecta est tantum. Ex hoc eodem modo est prædicabilis quidditas intelligentiæ de pluribus, scilicet nec actu nec aptitudine, sed ut obiecta est intellectui; ut ab Avicenna

habes V Metaph. : quinimo ipsa quidditas divina hoc modo communis et universalis secundum rationem est, unde et numerum pluralem apud grammaticos habet. Ad probationem autem majoris sic negata patet responsio : cum enim dicitur, quod implicat quidditatem esse de se hanc et universalem et predicabilem de pluribus : hoc est verum, accipiendi universale ex parte rei : et similiter predicabile. Universale enim secundum rationem tantum est unum in multis, et de multis ut objectum est tantum. Universale tantum ex parte rei est in multis secundum rem, licet unitatem habeat, ut objectum est. Hæc si vis plene intelligere, memento eorum, quæ dicta sunt in quest. de universalibus.

Ad tertium dicitur, quod in casu illo repararetur necessario idem numero Angelus : ex eodem enim Gabriel est hic et Gabriel. Nec est verum quod apud nos Deus non possit idem numero reparari, licet dicamus quod si in resurrectione non resumeretur eadem anima numero, quæ non annihilata esse debet : si resurrectionis ratio salvanda est, non esset idem homo numero, cum quo stat idem numero posse reparari a Deo.

Ad quartum dicitur, quod non est simile de intelligentiis et animabus intellectivis quoad hoc, quia animæ sunt partes speciei corporibus unibiles : non autem intelligentiæ : sed de his infra erit amplior sermo.

Ad quintum respondet S. Thomas quod natura humana et angelica possunt dupliciter accipi. Uno modo secundum esse naturæ : et sic natura humana est una : angelica vero plures. Alio modo accipiuntur secundum esse viæ, scilicet ut viatrices ad beatitudinem supernaturalem : et sic sicut natura humana est una, ita tota latitudo angelicarum specierum est una natura, eo quod sicut omnes homines uno modo tendunt ad patriam, scilicet per liberam arbitrium flexibile remediabiliter : sic omnes angeli uno modo tendunt ad beatitudinem, scilicet per liberum arbitrium flexibile irremediabiliter ; semel enim flexum reverti amplius non potest : apprehendunt enim immobiliter. Et propterea Angelus theologus loquens ad quem pertinet consideratio de homine et angelis in esse viæ et patriæ vocavit omnes angelos unius naturæ.

Ad sextum dicitur, quod Damascenus forte opinionem illorum quos in hoc non sequimur imitans dixit illa verba. Vel per speciem intellexit speciem subalternam non specialissimam : et hoc mihi placet magis, cum non constet ipsum contrarie opinionis esse : et nunc large speciei nomen accipiendum est, si veritatem habere debet.

Ad septimum dicitur primo, quod argumentum procedit ex malo intellectu articulo Parisiensi : illi enim sunt contra Averroistas, qui animam intellectivam, non multiplicabilem numero dicunt, quia est forma immaterialis : unde sensus primi articuli est, Si quis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia, id est sine dependentia a materia, error. Similiter secundi, Si quis dixerit formas non recipere divisionem sine materia, id est sine dependentia a materia, error. Similiter tertii, Quod quia intelligentiæ non habent materiam, Deus non posset ejusdem speciei facere plures, error : non habent materiam, id est dependentiam a materia, vel non posset, id est ex impotentia Dei procederet.

Vel dicatur secundo, quod articuli Parisienses, in quantum tangunt vel tangere videntur doctrinam S. Thomæ revocati sunt per dominum Stephanum episcopum Parisiensem apud Bertillacum, anno Domini MCCXXXV dei Iovis ante sacras Cineres, ut patet in litteris, quæ

incipiunt, magistra rerum experientia certis indicis evidenter demonstrat.

Dicitur tertio, quod cum sanctissimus Urbanus papa doctrinam S. Thomæ approbaverit in extravaganis quæ incipiunt Laudabilis Deus in sanctis suis et in sui majestate mirabilis : mirum est quomodo isti audeant contra Romanæ ecclesiæ approbationem reducere articulos Parisienses. Sunt autem verba domini Papæ in calce extravaganis ad universitatem Tholosanam ista : Volumus insuper, et tenore præsentium vobis injungimus, ut dicti beati Thomæ doctrinam tanquam veridicam et catholicam sectemini, eamque studetis totis viribus ampliari. Datum apud Montem Flascionem, etc. Hæc verba attendant adversarii, et videant quanta temeritate contra mandatum summi Pontificis catholicæ sancti Thomæ doctrinam impugnare nituntur.

Hujusmodi ergo substantiæ quamvis sint formæ sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiæ, et hoc sic patet : quicquid enim non est de intellectu essentiali vel quidditatis, hoc est adveniens extra, et faciens compositionem cum essentia : quia nulla essentia sine his quæ sunt partes essentiali intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc, quod aliquid intelligatur de suo esse facto : possum enim intelligere quid est homo vel phoenix, et tamen ignorare an esse habeant in rerum natura : ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate.

In hæc tertia parte capituli hujus probatur substantias separatas esse compositas ex esse et essentia. Sed antequam ad probationem accedatur, prænotandum est in substantiis materialibus inveniri quatuor realiter distincta, scilicet materiam, formam, essentiam compositam ex eis, et existentiam. In homine enim est consideranda materia, in qua recipitur ejus forma, et formam ipsam, quæ est illius materiæ actus, et essentiam humanam, quæ nec est materia nec forma, et esse actualis existentie, quo homo formaliter existit in rerum natura : unde fit ut in istis substantiis duæ compositiones pertinentes ad genus substantiæ reperiantur. Quarum prima est ex materia et forma ; secunda est ex essentia et existentia, quæ vocatur compositio ex esse et essentia.

Conveniunt autem inter se et differunt hæc compositiones. Conveniunt quidem in duobus. Primo in hoc, quod utraque constat ex actu et potentia ; materiam enim et formam clarum est se habere, ut potentiam et actum : essentia autem et esse ex eo liquet, quod se habent ut potentia et actus, quia quidditas quælibet ex hoc ponitur in rerum natura quod existentiam acquirit.

Secundo conveniunt in hoc, quod utraque extrema sunt in eodem genere ; tam enim materia et forma hominis, quam essentia et esse ejus in genere substantiæ et specie humanæ reponuntur.

Differunt autem quoad decem. Primo, quia extrema primæ compositionis sunt partes substantiæ, et non sunt substantia, proprie loquendo, ut patet. Materia enim et forma non sunt in genere substantiæ nisi reductive : unde predicationem substantiæ, quæ est genus generalissimum non nisi in obliquo suscipiunt. Extremorum vero secundæ compositionis neutrum est pars substantiæ : sed alterum est substantia, essentia scilicet

cat quæ est in recta linea prædicamentali, alterum vero extra substantiam scilicet existentia.

Secundo differunt, quia extremum illud quod se habet ut potentia in prima compositione, est ens pure potentialia, materia scilicet. Extremum vero illud quod se habet ut potentia, in secunda compositione non est pura potentia, sed ens in aliqua specie quidditative completum, essentia scilicet.

Tertio differunt, quia extremum illud, quod se habet ut potentia in prima compositione, non est id quod est, nec quod fit, proprie loquendo. Materia enim non fit, ut dicitur VII Metaph., text. comm. xxvii, ejusdem autem est esse, cuius est fieri, cum fieri ad esse terminetur. Extremum vero id quod in secunda compositione se habet ut potentia est id quod est, et fit: cum omnis factio ad compositum terminetur, ut ibidem dicitur.

Quarto differunt, quia extremum illud quod in prima compositione se habet ut actus, non est ultima actualitas rei, sed causat alium ulteriorem actum: forma enim hominis, que ejus materiam informat, causando totum compositum, complet propriam receptivum ipsius existentia: et sic eam causat, quæ est ulterius actus. Extremum vero illud quod in secunda compositione se habet ut actus, est ultima actualitas illius generis: post existentiam enim Sortis nihil sibi substantiale amplius advenit.

Quinto differunt, quia extremum illud, quod in prima compositione se habet ut actus, est ita actus quod tamen comparatur ad aliud, ut potentia. Extremum vero illud quod in secunda compositione se habet ut actus, est ita actus, quod ad nihil ipsius rei comparatur ut potentia. Quod patere potest advertendo proportionem, quæ est inter formam et existentiam. Est enim proportio formæ ad esse actualæ, sicut proportio diaphaneitatis ad lumen: forma siquidem recipit existentiam et causat eam, sicut diaphaneitas lumen. Sicut namque aer in eo, quod aer non est capax luminis, sed oportet ipsum diaphaneitate informari, ut proprium receptivum luminis fiat: ideoque neque aer nec diaphaneitas, sed aer diaphanus est qui primo luminosus est, licet secundario tam aer quam diaphaneitas lumine careat; ita in proposito materia sola non est capax existentie, quia actus in propria suscipi debet potentia: sed oportet in ipsa formam recipi, ut propriam exceptivum existentie fiat, non materia nec forma, sed compositum ex eis. Id enim quod primo existit, est compositum ejus primo etiam est fieri: tamen tam materia, quam forma secundario actuali illam existentia: unde sicut diaphaneitas est causa formalis aeri diaphano, et ejus complementum formale ad hoc ut proprium susceptivum luminis sit, et cum hoc comparatur ad lumen adveniens ut potentia recipiens, licet secundario ad actum: ita forma est causa formalis composito et complementum ejus formale ad hoc, ut proprium receptivum existentie sit, ac per hoc comparatur ut ipsam existentiam subsequenter ut potentia recipiens: secundario tamen ad actum receptivum; unde fit, ut ipsum esse actualis existentie ad nihil aliud compararetur, ut potentia ad actum: sed sit ultima actualitas omnis rei etiam ipsius forme.

Sexto differunt, quia extremum illud, quod in prima compositione se habet ut actus est de intellectu seu definitione rei intrinseco: forma enim secundum omnes intrinsece in definitione concipitur. Extremum vero illud quod in secunda compositione se habet ut actus, est extra

quidditatem rei: definitio enim non significat esse, vel non esse, ut dicitur I Poster.

Septimo differunt, quia ex extremis primæ compositionis fit unum tertium per se unum. Ex extremis vero secundæ compositionis non fit unum tertium per se unum neque per accidens, proprie loquendo. Et colligitur ratio hujus differentie ex supradictis: unum enim per se non fit nisi ex duobus, quorum utrumque est pars substantiæ: nulla enim substantia completa facit unum per se cum quocumque alio, et quorum alterum est pura potentia: ex duobus enim actibus non fit tertium per se unum, et quorum alterum est ita actus, ut possit comparari ad aliquid aliud, ut potentia; partes enim sunt materia totius, V Metaph., text. comm. iii. Cum autem in prima compositione omnes istæ compositiones salventur, in secunda vero nulla: sequitur quod in secunda compositione non fiat unum tertium per se, neque etiam unum per accidens fit: quia unum per accidens aggregat res diversorum generum: cum his tamen stat quod essentia per se adnnetur cum esse.

Octavo differunt, quia prima compositio est compositio ex his, et ideo fit ibi unum tertium. Secunda vero est compositio cum his. Nulla enim res datur, quæ constet ex essentia, et existentia, proprie loquendo, sicut datur res constans ex materia et forma; sed essentia compositum cum existentia et e converso: et ideo dictum est, quod adnnetur per se, non tamen componendo tertium.

Nono differunt, quia prima compositio ad pauciora se extendit, quam secunda. Extrema enim primæ compositionis non inveniuntur nisi in rebus sensibilibus: eam namque solam ex materia et forma constare, supra conclusum est. Extrema vero secundæ compositionis reperiuntur et in rebus insensibilibus, et in rebus immaterialibus; habent enim intelligentie quidditatem et existentiam. Unde prima compositio infert secundam, et non e converso: omne enim compositum ex materia et forma est compositum ex essentia et esse: sed non convertitur.

Decimo differunt quoad passiones suas: compositionem enim primam quantitas, accidentia sensibilia, et transmutatio saltem localis sequuntur. Compositionem autem secundam neque generatio, neque corruptio, neque transmutatio aliqua physica sequitur: sed tantum recipere et recipi, perficere et perfici, quia hæc sequuntur actum et potentiam, illa vero materiam et formam. In littera igitur hæc secundam compositionem in omni ente citra primum inveniri probatur tali conclusione proposita: omne ens aliud a primo est compositum ex esse et essentia. Ratio talis est: Omne habens aliquid realiter suæ quidditati conjunctum, quod est extra essentiam ejus, est compositum ex quidditate et illo additamento, id est essentia et esse: omne ens aliud a Deo habet aliud reale suæ quidditati realiter conjunctum extra essentiam ejus, scilicet esse: ergo omne ens aliud a Deo est compositum ex esse et essentia. Major relinquatur a S. Thoma pro manifesta. Et est modificanda ita, quod illud additum sit extra essentiam rei particulariter sumptam (quod dico propter inferius, cum sit extra essentiam superioris, non tamen compositum cum illo) et etiam deservit sic modificata propositio, quia esse est extra essentiam Sortis, non enim ponetur in ejus definitione si diffiniretur. Relinquatur igitur manifesta major, quia duo adnata, quorum neutrum est contrahens alterum, et alterum se habet ut actus, et alterum ut potentia, non nisi per compositionem realiter sunt conjuncta. Minor autem patet ex sexta differentia, et Aristotele I Posteriorum dicente, quod nulla definitio significat esse.

• Nisi forte sit aliqua res, cujus quidditas sit suum esse, et hæc res non potest esse nisi una et prima, quia impossibile est ut fiat plurificatio alicujus nisi per additionem alicujus differentia, sicut multiplicatur natura generis in speciebus. Vel per hoc, quod forma recipitur in diversis materiis, sicut multiplicatur natura speciei in diversis individuis. Vel per hoc, quod unum est abstractum, et aliud in aliquo receptum: sicut si esset quidam color separatus, esset aliis a colore non separato, ex ipsa sua separatione. Si autem ponatur aliqua res, quæ sit esse tantum, ita ut ipsum esse sit subsistens, hoc esse non recipiet additionem differentia, quia jam non esset esse tantum, sed esse, et præter hoc forma aliqua. Et multominus recipiet additionem materia, quia jam esset esse non subsistens, sed materiale, unde relinquitur, quod talis res, quæ sit suum esse, non potest esse nisi una: unde oportet, quod in qualibet alia re præter eam sit aliud esse suum, et aliud quidditas vel natura, seu forma sua. Unde in intelligentiis oportet, quod sit esse præter formam, et ideo dictum est, quod intelligentia est forma et esse.

Hic ponitur secunda ratio ad idem, quæ inducitur per modum exclusionis tacite responsionis, quia aliquis posset dicere ad rationem factam, quod aliqua res est cujus quidditas est suum esse et illius diffinitio non abstrahit ab existere. Contra hoc inquam inducitur secunda ratio probans, quod in uno solo ente, scilicet primo, essentia est idem quod existentia: et consequenter in quolibet alio, esse et essentia distinguuntur realiter. Ratiocinatur ergo sic: Omne plurificabile seu plurificatum altero trium modorum multiplicatur, vel per additionem differentia formalis, vel per receptionem utriusque in materia, vel per receptionem unius in materia et alterius separationem: sed quidditas quæ est suum existere, nullo istorum modorum est multiplicabilis; ergo quidditas, quæ est suum esse, nec est plurificabilis nec plurificata; ergo est una tantum: et sic omne aliud ab ea non est sua existentia. Processus clarus: major vero declaratur, quoniam cum pluralitas sequatur divisionem: divisio alicujus fit per differentias formales: sicut natura generica animalis multiplicatur in homine et leone. Vel per differentias individuales, sicut natura specifica multiplicatur in Sorte et Platone propter hoc, quod humanitas Sortis est in alia materia signata ab illa, in qua est humanitas Platonis. Vel tertio modo potest imaginari divisio inter aliqua duo ejusdem nature, propter hoc, quod alterum est omnino separatum, a materialibus conditionibus, alterum vero concretum est illis, sicut homo separatus apud Platonem, distinguitur ab homine particulariter propter hoc, quod homo separatus est immaterialis, natura vero Sortis est recepta in hæc materia. Nec apparebit discurrenti per omnia prædicamenta aliquis alius modus realis multiplicationis in universo. Nec aliquis mihi objiciat quod quantitas et substantia distinguuntur realiter, et tamen non per differentias formales, nec, etc. Quoniam sive modis sive differentis fiat divisio, non refert, dummodo contrahens ad aliquam limitatam naturam trahat contractum. Minor autem declaratur quoad omnes ejus particulas. Primo, quod non sit multiplicabilis

per modum generis, patet ex eo, quod genus recipit additionem differentia, per quam trahitur natura generis ad determinatam naturam specificam, et sic perdit genus puritatem propriam: animal enim contractum ad humanam speciem non est purum animal, sed animal humanum: quidditas vero, quæ est sua existentia, est ipsum esse purum, et non coarctatum: statim enim quod contraheretur, perderet puritatem, et essent ibi duo: esse scilicet, et quidditas, ad quam contractum esset. Secunda pars minoris clarius patet: quod enim recipitur in alio, non est esse purum, et per se subsistens, sed sustentatur in alio: quidditas autem, quæ est suum esse, est pura, et consequenter per se subsistens, et non alteri admixta, in quo sustentetur. Per idem quoque patet tertia pars minoris: si enim una quidditas, quæ est suum esse, est separata, altera quæ est recepta, ex hoc, quod est recepta, non poterit esse eadem sue existentia: ut enim dictum est, esse receptum non potest esse idem quidditati: et sic concluditur, quod quidditas, quæ est suum esse, est una tantum, quæ est prima causa omnium, ac per hoc cætera habent esse distinctum a suis essentiis.

Omne autem quod convenit alicui, vel est causatum ex principiis nature suæ, sicut risibile in homine, vel advenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aere ex influentia solis. Non autem potest esse, quod ipsum esse sit causatum ab ipsa forma, vel quidditate rei; dico sicut a causa efficiente: quia sic aliqua res esset causa suiipsius, et aliqua res seipsam in esse produceret, quod est impossibile; ergo oportet, quod omnis talis res, cujus esse est aliud a natura sua, quod habeat esse ab alio.

In hæc parte quarta hujus capituli declaratur, intelligentias habere esse a Deo effective, in quo omnino idem est esse cum essentia: primum horum in sua generali conclusione, hoc scilicet, Omne aliud a prima causa est productum ab ipsa, probatur sic: Omne habens esse distinctum a sua quidditate, est productum effective a prima causa: omne ens aliud a causa prima habet esse distinctum a sua quidditate; ergo omne ens aliud a prima est effective productum a prima causa: minor supponitur ex dictis et dicendis. Major probatur sic, Omne illud, cui convenit aliquid distinctum a sua quidditate, ita se habet quod vel ipsum est causa effective illius, aut habet illud ab alio effective; non enim potest imaginari tertium: risibilitas siquidem et albedo, et quicquid aliud convenit homini, aut causatur ab ipso homine effective, aut ab aliquo alio, quod non est hominis quidditas; sed impossibile est, ut aliud ens efficiat suam propriam existentiam, ut dicitur II de Anima text. comm. XLVII: ergo oportet quod illam habeat ab alio effective. Quod autem sit impossibile, ut aliud ens efficiat suam propriam existentiam, patet ex eo, quod sequeretur, quod illud esset antequam esset, ex eo enim quod efficeret, esset: omne enim efficiens existit, III Phys., text. comm. XVII, ex eo vero quod suum proprium esse cansaret suum existere, ejus causalitatem sequeretur: et sic esset antequam esset.

Et, quia omne, quod est per aliud, reducitur ad id, quod est per se, sicut ad causam primam: ideo oportet quod sit aliqua res, quæ sit causa essendi omnibus rebus, eo quod ipsa esse esse

tantum, alias retur in infinitum in causis; cum omnis res, quæ non est esse tantum habeat causam sui esse, ut dictum est. Patet ergo, quod intelligentia est forma et esse, et quod esse habeat a primo esse, quod est esse tantum: et hoc est prima causa, quæ Deus est.

Hic declaratur secundum propositorum, hæc conclusio scilicet: essentia primæ causæ est solum existere, tali ratione, Omne quod est per aliud tale, præceditur ab eo quod est per se tale: omne ens aliud a prima causa est per aliud tale, id est ens, ergo præceditur ab eo quod est per se ens: causa est omnibus ut entia sint, ut dicitur II Metaph., text. comm. iv: prima ergo causa est ex se ens, seu per se ens, et consequenter sua quidditas est ipsum esse, aliter non esset per se: sed per aliud a sua quidditate ens: et consequenter dependet ab alio, ut ante posita ratione deductum est. Major propositio etsi habeatur II Phys., text. comm. lxxvi et viii, text. comm. xxxix, tamen in littera probatur ex eo, quod aliter sequeretur processus in infinitum in causis: si enim non esset devenire ad unum per se tale, sed omnia essent per aliud talia: qua ratione autem unum est aliud, eadem ratione ante illud erit aliud: et sic in infinitum. Minor vero est conclusio præcedentis rationis.

QUESTIO X

Num intelligentia sint a Deo effective productæ.

Circa hæc partem dubitatur, an intelligentiæ effective sint productæ a Deo.

Et pro parte quidem negativa arguitur sic: Omne agens aliquid, agit illud per motum: nulla causa substantiarum immaterialium agit eas per motum; ergo nulla causa earum est agens eas. Major est Aristotelis I de Generatione, text. comm. xlv. Et confirmatur: quia apud Aristotelem XII Metaph., text. comm. xii, omnis productio exigit tria: a quo, ex quo, et ad quod, quæ in substantiis immaterialibus salvari non possunt.

Præterea, in I Phys., textu commenti trigesimitertii, communis conceptio philosophorum est, quod ex nihilo nihil fit, sed si intelligentia sua effective a Deo, sunt ex nihilo, etc.

Præterea, IV Cæli, comm. i, nullum æternum, inquit Aver. habet efficiens vere, nisi per modum formæ et finis. Similiter XII Metaph., comment. xlv, reprehendit modernorum morem, dicens, quod in separatis a materia non est vere agere.

Præterea, Nullum possibile ex se est necessarium ex alio, apud commentatorem XII Metaph., comm. xli, nisi motus: sed intelligentia, si sunt effective a Deo, sunt possibles ex se: ergo non sunt necessarie ex alio, ergo corruptibiles.

In hac dubitatione, quoniam nostra ætate in hoc Patavino studio non veritur in dubium, an ita sit, quod Deus creaverit intelligentias, sed an hoc sit secundum mentem Aristotelis et commentatoris: ideo breviter et incidenter persuadere volumus, quod omnes intelligentiæ sunt a Deo effective secundum commentatorem, et consequenter Aristotelem; omnes

enim admittunt in hæc re consequentiam istam. Deinde quoniam multi in hæc re quaerunt modum, quo apud comm. productio ista sit, declarabitur et modus productionis.

Primum declarabitur sic: id quod est maxime ens et verum est causa entitatis et veritatis in cæteris, II Metaph., text. comm. iv. Deus est maxime ens et verum; ergo Deus est causa entitatis in cæteris. Si dicatur quod est causa finalis et non effectiva: contra XII Metaph., comm. xxxvi et xlv, quælibet res separata a materia, cuiuscumque est principium finale, est principium efficiens; ergo si Deus est principium finale intelligentiarum, erit et principium efficiens earum. Dicitur forte, quod commentator non ponit illam propositionem universalem, sicut assumpta est, sed indefinitam; contra, commentator ex separatione a materia seu immaterialitate rei ponit causalitatem effectivam concomitari causalitatem finalem respectu ejusdem effectus, ut patet ibi; ergo ubicumque reperitur immaterialitas cum causalitate finali respectu aliojus, oportet etiam reperiri causalitatem effectivam respectu ejusdem. Confirmatur ex verbis commentatoris in de Substantia orbis, capitulo secundo: ubi expresse dicit cælum egere intelligentia non solum movente, sed largiente in sua substantia permanentiam æternam; par autem est ratio de intelligentiis. Quod si dicatur, quod loquitur de causa finali et formali exemplari, replica facta est: et adde quod ibi dicit commentator, quod finis significat agens significatione necessaria, et sunt verba valde notanda. Confirmatur adhuc, quia Averroës in XII Metaph., et nunc declarabitur, non solum ponit ipsas productæ, sed etiam modum quo a prima causa omnes producantur, assignat. Modus autem productionis ab ipso ponitur, xlv commentu, XII Metaph., reprehendit Avic., non quia ponebat intelligentias produci a Deo: sed quia ponebat, quod Deus causaret eas per modum nature, scilicet quod ab uno unum tantum procedat. Posuit enim Avicenna Deum gloriosum, qui pura actualitas est, intelligendo se, producere primam intelligentiam, quæ producta intelligendo Deum, producebat secundam intelligentiam: intelligendo autem se secundum id, quod habet de actualitate, producebat animam primi orbis: intelligendo autem se secundum id quod habet de potentialitate, producebat orbem primum, et similiter secunda intelligentia faciebat usque ad ultimam, quæ præsidet spheræ activorum et passivorum. Reprehenditur ergo Avicenna de hoc, quod unum tantum procedere a Deo immediate dicebat. Unde dicit, Non enim est illic preventus, neque consecutio neque actio: ita quod dicamus, quod una actio sequitur unum agentem. Ubi apparet quod propterea apposuit ly: Ita quod una actio, ut declararet modum productionis se impagnare. Unde et vere productionis modum subjungit in verbis sequentibus dicens: Tantum enim est illic causa et causatum, secundum quod dicimus, intellectum est causa intelligentis. Ubi scito ex Alberto XII Metaph., quod contemplatio intelligentiarum, si veritatem invquire querit, in eas, ut operativas non speculativas tendat: sunt enim essentialiter officines, ut earum instrumenta corpora, scilicet et celestia præ se ferunt. Inter artes enim talis inventur processus, quod ars communis et principalis speciales artes subservientes causat exemplariter et effective (partialiter saltem), prout diversis modis est imitabilis: verbi gratia, ars militaris causat equestrem et frænefactivam, et alias hujusmodi, ut sic, et sic et aliter imitabilis; omnes enim inferiores artifices intendo artem principalem, et communem, ad ejus imitationem formant operationes suas

proportionatas illi; Deus autem gloriosus est ars prima et communissima imitabilis ab omnibus artificibus specialibus, quales sunt omnes intelligentiæ. Unde ipsa ars divina ut sic imitabilis, puta per modum talem, qualis est motus Saturni, causat artem intelligentiæ Saturni: et ut alio modo imitabilis, puta per operationes tales, quales sunt Jovis, causat artem intelligentiæ Jovis, et sic de aliis; causat dico non solum exemplariter, sed effective, et totaliter. Ars enim universalis in humanis ideo non causat, nisi partialiter et exemplariter artes speciales: quia non potest nisi concurrente lumine intellectus agentis in alterius intellectus fieri. Si namque ars universalis esset separata a materia per se subsistens ex se, non prohiberetur quin posset artes speciales sui imitativas effective producere. Unde cum ars divina sit per se subsistens, et summe efficax, non requirit coagens: sed sola intelligendo se ut pluribus modis imitabilem artes speciales orbium motivas tanquam propriorum instrumentorum produxit: et quia artes illæ non sunt receptæ in aliquo, oportet quod sint subsistentes, et quod sint non solum formæ intelligibiles, sed intelligentes. Omnis enim res immaterialis si est subsistens, est intelligens secundum doctrinam Aristotelis III de Anima, text. comment. xvi. Unde cum Deus immediate producat plures artes speciales subsistentes, sequitur quod immediate producat plures intelligentias, ipsæ enim sunt essentialiter artes: et sic ibi est tantum causa et cansatum, sicut intellectum, id est, ars communis intellecta, est causa intelligentis artificis subservientis.

Confirmant hunc sensum verba sequentia, quibus ait: Non est impossibile, ut id quod est per se intelligentia et intellectum, sit causa plurimum entium, secundum quod ex eo intelliguntur multi modi. Ars enim divina, quæ est pura intelligentia et purum intellectum, secundum quod intelligitur a se practice pluribus modis imitabilis, plures artes producit. Quarum cuilibet, quia quod concipit de arte communi, est ratio operandi, cum sumat principia sua ab illa: ideo subdit, quod aliud est quod concipit de primo motore motor orbis Jovis, et aliud quod concipit motor orbis Saturni: et est causa in anima, ejus scilicet, quod operetur.

Confirmat quoque hoc idem proportio inter intelligentias assignata ab ipso commentatore; ait enim in comment. xiv quod habitu intelligentiarum aliarum ad primam est habitudo artium specialium ad communem: ita quod sicut artes speciales participant et causantur a communi in humanis: ita proportionabiliter intelligentiæ aliæ participantur et causantur a prima.

Ad primum in oppositum dicitur, quod agens dupliciter sumitur. Quandoque proprie pro illo, quod ex sua actione infert passionem, quæ magis facta abicit a substantia: et sic sumitur ibi ab Aristotele agens; sic enim opponitur agens et patiens. Alio modo pro omni eo, quod in genere causa efficientis causat: et sic agens communius est movente, ut patet ex VII Metaph., comm. xxxi.

Ad confirmationem primam dicitur, quod et illud et similia intelligenda sunt de productione physica, scilicet per motum et mutationem. Similiter dicitur ad secundum.

Ad auctoritates commentatoris adductas et similes sibi dicitur, quod loquuntur de agente proprie dicto et productione physica: vel contra positionem Avicennæ quod unum ab uno emanat.

Ad rationem secundam concessa majore, negatur minor: stat enim

apud Aristotelem, commentatorem, et S. Thomam et veritatem aliquid esse ab alio effective, et tamen esse necessarium ex se.

Ad ejus evidentiam notandæ sunt quatuor propositiones. Prima est: Possibile ex se est id, quod habet in seipso potentiam ad non esse. Patet ista ex extrinsecis: ideo enim aliquid est in ordine possibilem et non in ordine necessarium: quia habet in seipso potentiam ad non esse. Si enim caret potentia ad non esse, impossibile est ipsum non esse: et sic necessarium est illud esse.

Secunda propositio est: Id solum habet in seipso potentiam ad non esse, ejus aliquid habet potentiam ad aliud esse. Patet ista ex eo, quod nulla potentia per se primo appetit non esse: omnis enim appetitus per se tendit ad aliquid esse, sed quia cum illo ad quod tendit, non potest stare esse quod habet, ideo ex consequenti appetit non esse, quod est privatio formæ, quam habet. Sicut materia aquæ per se primo appetit formam ignis: sed quia cum forma ignis non potest simul stare aquæ forma, ideo ex consequenti appetit privationem formæ aquæ, quam habet. Potentia ergo omnis appetens non esse prius natura appetit aliquid aliud esse. Notanter autem dixit in hac propositione, ejus aliquid habet potentiam: quoniam non totum appetit aliud esse, sed pars potentialis: non enim tota aqua appetit esse ignis, sed ejus materia.

Tertia propositio est: Necessarium ex se est illud quod caret potentia ad esse et non esse. Patet ista ex terminis V Metaph., textu comm. vi. Necessarium enim est quod impossibile est aliter se habere; quod autem caret potentia ad esse, et non esse, impossibile est aliter se habere, omnis enim successio, quæ dicitur sic ad aliter se habere, fit per posse hoc esse perdere, et aliud acquirere.

Quarta propositio est: Quod nec intelligentiæ, nec corpora cælestia habent aliquid sui, quod sit in potentia ad aliud esse. Istæ quoad intelligentiæ est per se nota, quia sunt simplices formæ: quoad corpora cælestia vero secundum Averroem similiter dicendum est, quia sunt substantiæ simplices apud ipsum: secundum autem S. Thomam ex eo est vera, quod materia conjusque eorum non est capax nisi formæ quam habet.

Ex quibus quatuor propositionibus succinete declaratis patere potest, quod secundum veritatem intelligentiæ et corpora cælestia sunt necessaria ex se arguendo sic: Omne carens potentia ad esse et non esse est necessarium ex se; intelligentiæ et corpora cælestia carent potentia ad esse et non esse; ergo, etc. Cum hoc tamen stat, quod sint effective ab alio: potest enim unum necessarium esse effective ab alio necessario: ut dicitur VIII Phys., text. comm. xv, et V Metaph., text. comm. ix. Unde intelligentiæ et corpora cælestia dupliciter sunt necessaria et ex se et ab alio; ex se quidem formaliter et intrinsece: ab alio vero effective et extrinsece. Unde commentator XII Metaph., comm. xli, dicit, quod non potest esse aliquid possibile ex se, necessarium vero ex alio nisi motus: et non dixit impossibile est aliquid esse necessarium esse ex se et ex alio. Et cum hoc impexeris fugabunt omnes dubitationes inter dicta ejus in de Substantia orbis, et hic; reputavit enim impossibile nisi in motu aliquid esse necessarium ex alio præcise; pro nunc sufficient hæc.

Omne autem, quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius: et hoc quod receptum est in eo, est actus ejus;

ergo oportet, quod ipsa forma vel quidditas, quæ est intelligentia, sit in potentia respectu esse, quod a Deo recipit; et illud esse receptum est per modum actus, et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis, non tamen forma et materia, nisi æquivoce; unde etiam pati, recipere, subjectum esse, et omnia hujusmodi, quæ videntur rebus ratione materia convenire, æquivoce conveniunt substantiis intellectualibus et corporalibus, ut in III de Anima commentator dicit.

In hac quinta particula declaratur talis conclusio: intelligentiæ sunt compositæ ex actu et potentia, quo est et quod est: sic, Omne quod recipit aliquid ab alio effective, est compositum ex recipiente potentia et actu recepto: intelligentiæ recipiunt aliquid ab alio, scilicet esse a Deo; ergo intelligentiæ sunt compositæ ex potentia et actu. Major ex eo patet, quod nihil est in seipso. Minor autem ex præcedentibus nota est. Et quamvis sic sit, quod in intelligentiis invenitur actus et potentia, non tamen habent formam et materiam. In plus enim se habent actus et potentia, quam forma et materia. Unde pati, recipere, et subijci, et similia, quæ sunt passionis materiae æquivoce in inferioribus, et superioribus referuntur. Alia enim est ratio recipiendi, ibi et hic: ibi absque omni motu et materiali conditione, in istis vero non nisi cum motu et individualibus conditionibus, ut et commentator testatur III de Anima, comm. xiv.

Et quia, ut dictum est, intelligentiæ quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia ejus est ipsum quod est ipsa, et esse suum receptum a Deo est id, quo subsistit in rerum natura, et propter hoc a quibusdam hujusmodi substantiæ dicuntur componi ex quo est, et quod est, vel ex quo est, et essentia, ut Boetius dicit.

Assignat rationem, quare intelligentiæ dicuntur compositæ ex quo est, et quod est, Omne compositum ex quidditate, quæ est ipsum suppositum et esse est compositum ex quo est, et quod est: intelligentiæ sunt compositæ ex quidditate, quæ est ipsa intelligentia, et esse quo subsistunt; ergo sunt compositæ ex quo est et quod est. Omnia assumpta ex prædictis sunt manifesta.

QUÆSTIO XI

Num esse actualis existentis et essentia distinguantur realiter.

Circa supradicta duas dubitationes sunt. Prima est, an esse actualis existentis et essentia distinguantur realiter. Secunda est, an intelligentiæ sint compositæ ex actu et potentia.

Circa primam tria agenda sunt: primo ponitur opinio Scoti. Secundo ponitur opinio S. Thomæ. Tertio respondebitur argumentis in oppositum.

Quoad primum Scotus in tertio Sententiarum, distinctione sexta, questione prima, opinatur, esse actualis existentis et essentiam rei esse idem realiter, licet distinguantur ex natura rei, sicut modus intrinsecus

et quidditas cujus est: sicut nec albedo distinguitur a suo modo intrinsecus gradu scilicet, ut tria vel quatuor. Ad probandum autem hoc licet adduci possent rationes Scoti: quia tamen unionem naturæ humanæ cum supposito divino concernunt, decem rationes inductas ab Antonio Trombeta in quolibeto suo nunc recitandas primo censui.

Primo arguit, ut ipse dicit, contra fundamentum Thomæ sic: Manente eadem ratione, manet idem effectus: sed tota ratio quare ponitur ab istis, essentiam differre ab esse est propter indifferentiam essentiae ad esse et non esse: nam, ut dicunt, lapis est in potentia, ut sit et non sit; ergo ubi talis indifferentia invenitur, ibi ponenda est talis distinctio: sed ita est, quod est consimilis indifferentia esse ad esse et non esse (esse enim rosæ in hyemæ non est, in vere autem est); consimilis etiam indifferentia est essentiae ad essentiam et non essentiam, essentia namque creaturæ ab æterno non est; ergo esse differt realiter ab esse, et essentia differt ab essentia, quod est ridiculum.

Præterea, Quæcumque sunt aliqua duo essentialiter ordinata et realiter distincta, prius potest sine contradictione fieri absque posteriori: sed essentia non potest fieri sine existentia; ergo: minor patet, quia essentia particularis, quæ sola fit, necessario est existens.

Præterea, Quæcumque distinguantur realiter, se habent sicut res et res: sed essentia et existentia non se habent sicut res et res; ergo, etc. Patet ista: quia res, proprie loquendo, convertitur cum ente in actu actualitate existentia.

Præterea, Nulla res componit cum sua realitate: ergo nulla quidditas differt realiter a sua existentia. Tenet consequentia: quia existentia est ipsa realitas rei, nihil enim aliud est dicere rem esse realiter, quam existere, et e converso. Antecedens est de se notum; ridiculum est enim dicere quod aliquid componat cum sua realitate.

Præterea, Homo verus non componit cum sua veritate, nec homo affirmans cum sua affirmatione: ergo quidditas non componit cum sua existentia. Consequentia patet ex eo, quod rei existentia nihil aliud est, quam positio veritatis et affirmatio hujus. Antecedens autem oppositum non videtur bene intelligibile.

Præterea, Existentia et essentia habent idem contradictorium: ergo non distinguantur realiter: consequentia est nota: antecedens vero manifestatur ex eo, quod nihil est quod privet esse, quin privet essentia, nec est aliud nihil privans esse, et aliud nihil privans essentia.

Præterea, Homo in potentia non componit cum homine in actu; ergo essentia et existentia non componunt, et consequenter non realiter distinguuntur. Consequentia relinquuntur per se nota: quia essentia est in potentia, existentia vero est actualitas ejus. Antecedens vero patet ex eo, quod actus et potentia dividunt ens, ut conditio diminuens, et perficiens, sicut verum et pictum dividunt animal, ut commentator dicit IX Melaph., comm. vii: homo ergo in potentia cum non sit homo simpliciter, cum sit homo in actu, solam conditionem distrahentem perdit positum sub conditione perficiente: et sic nullam compositionem habet cum homine in actu.

Præterea, Esse existentis si est distinctum realiter a quidditate, non est substantia, nec accidens; ergo: probatur antecedens. Quod enim non sit accidens, ut concessum ponitur. Quod autem non sit substantia, probatur: quia aut est materia, aut forma, aut compositum: nullum illorum est apud Thomam; ergo, etc.

Præterea, Existentia et essentia distinguuntur realiter: ergo in qualibet generatione substantiali sunt duo termini totales, et duo termini formales. Consequens est impossibile; ergo, etc. Consequentia probatur quoad utramque partem, supponendo duo. Primum est, quod compositum per se unum fit ex per se actu, et per se potentia, ex VIII Metaph., ubi nullam causam novit Aristoteles quare compositum substantiale est per se unum, nisi quia materia est per se potentia, forma vero per se actus. Secundo supponitur, quod essentia est per se potentia, existentia vero per se actus. Ex quibus concluditur, quod id quod resultat ex esse et essentia, est per se unum: quo datur, sequitur quod erunt duo composita per se unitatem habentia, quorum alterum erit compositum ex materia et forma, alterum ex esse et essentia: et cum unumquodque per se unum natum sit terminare generationem, ergo in generatione erunt duo termini totales: et sic patet prima pars. Erunt etiam duo termini formales, scilicet existentia, et forma substantialis, quod etiam probatur sic: terminus formalis generationis est id, quo aliquid generatur: sed tam existentia, quam forma est id, quo aliquid generatur; ergo, etc. Probatur minor sic: eo modo, quo aliquid est ratio essendi, est ratio generandi: sed existentia est ratio essendi, ergo est ratio generandi. Vel formetur sic ratio: eo modo quo aliquid generatur, eo modo est: sed per se ipsum compositum non generatur per esse sic, quod esse sit terminus generationis: ergo non habet esse per ipsum esse. Consequens est falsum, ergo altera præmissarum: non major, ergo minor.

Præterea, Ex existentia et essentia fit per se unum; ergo datur processus in infinitum in essentiis. Consequens est impossibile; ergo, etc. Antecedens patet ex præcedenti ratione, et probatur sic, nam sicut ex materia et forma resultat tertium per se unum, quia illa est per se potentia, hæc per se actus: ita ex existentia et essentia, cum etiam existentia sit per se actus, et essentia per se potentia; eadem enim ratio est. Consequentia autem probatur: quia si ex esse et essentia fit tertium per se unum, cum illud iterum distinguatur a sua existentia, componet cum ea, et ex eis fiet aliquid per se unum: et iterum arguitur eodem modo de illo, et sic in infinitum. Hæc de primo.

Quoad secundum, opinio S. Thomæ ab eo posita in II contra Gentiles, cap. 111, est quod in omni creatura quidditas et ejus esse actualis existentie distinguuntur realiter: et licet hæc conclusio nunc in textu probata sit, atamen ad pleniorum declarationem deducam tres probationes ex S. Thomæ ibi.

Prima est, Omnis essentia creata habet aliquid sibi realiter conjunctum, præter suum esse: nullum esse irreceptum habet aliquid sibi annexum præter se: ergo nullum esse irreceptum est essentia creaturae, et consequenter esse et essentia non sunt idem: esset enim ipsum esse irreceptum, si esset idem essentia, sicut et ipsa essentia irrecepta est, de substantiis loquendo. Major est nota per se: Sortes enim præter suum esse habet quantitatem, albedinem et similia: similiter substantiæ separatae, ut nunc supponimus, habent aliquid accidens, puta actum intelligendi saltem. Minor vero declaratur ex eo, quod si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis: sed præcisa causa, quare esse habeat aliquid præter se annexum, est, quia esse est receptum in alio, in quo potest recipi aliud: quod patet ex hoc, quod esse substantiale Sortis et esse album ejusdem nulla alia ratione adnatur,

nisi quia utrumque recipitur in Sorte: sunt enim tantum unum subiecto. Cum ergo esse non erit receptum, non remanebit aliquis modus, quo potest habere aliquid sibi annexum.

Confirmatur hoc: quia esse substantiale Sortis, aut adnatur cum aliis præter se identice, et hoc est manifeste falsum: esse enim substantiale Sortis, non est esse album. Aut sicut potentia et actus, ita quod esse substantiale sit potentia et accidentale actus ejus, et hoc non, quia nullum esse actualis existentie potest poni subiectum alterius, cum sit ultima actualitas. Remanet igitur, quod ea ratione adnatur, quia ambo recipiuntur in tertio: et ideo sublato hoc ab ipso esse actualis existentie, quod sit, scilicet receptum, aufertur etiam quod possit habere aliquid sibi annexum; et hoc est quod Boetius dicit in Hebdomadibus, quod ipsum quod est aliquid, habet sibi præter se conjunctum: ipsum vero esse nihil.

Secunda ratio ad idem est, Omne esse irreceptum est infinitum simpliciter: nullum esse creaturae est infinitum simpliciter, ergo nullum esse creaturae est esse irreceptum: ergo distinguitur ab essentia, etc. Minor est per se nota. Major probatur sic: Omne purum esse est infinitum simpliciter: omne esse irreceptum est purum esse: ergo omne esse irreceptum est infinitum simpliciter. Major est nota ex terminis (esse enim ideo est limitatum, quia non est purum sed prædicamentis mixtum); esse enim limitatur per naturas prædicamentales: a quibus si depreetur, omni finitate carens infinitum omnino restabit. Minor vero etiam patet ex præcedenti ratione, et ex ratione facta supra in textu. Et adhuc exemplariter declaratur: Albedo si ponatur non recepta in aliquo, est pura albedo: et nihil haberet nisi se tantum, et esset infinita in specie albedinis, ut de se clarum est: non enim potest a sano intellectu imaginari albedo separata definita ad aliquem modum albedinis: omne enim quod est per se tale, habet omnem perfectionem possibilem illi naturæ, sicut homo separatus apud Platonem, habet omnem perfectionem possibilem naturæ humanæ.

Nec valet id quod Antonius Trombeta contra hoc dicit sumptum ex Scoto, secundo sententiarum, dist. 111, quest. ult. quod si albedo esset separata, et haberet omnem perfectionem possibilem tali specie, sequeretur quod albedo esset infinita simpliciter: quia haberet perfectionem infinitorum individuum possibilem esse sub specie albedinis. Hoc inquam nihil valet. quoniam sicut infinita individua albedinis, etiam simul posita non sunt perfectionis infinitæ simpliciter, cum sint limitata ad speciem albedinis: ita nec albedo separata eorum perfectiones habens erit infinita simpliciter, sed in tali specie.

Tertia ratio est ista, Id quod convenit naturæ specificæ absque omni causa effectiva, distinguitur realiter ab eo, quod convenit illi, non nisi per aliquam causam effectivam: sed prædicata quidditativa conveniunt rei absque omni causa effectiva: existentia autem non convenit rei nisi per aliquid efficiens: ergo prædicata quidditativa et existentia rei distinguuntur realiter: major est per se nota. Minor etiam quoad secundam partem est clarissima: quoad primam vero declaratur sic: Seclusa omni causalitate effectiva respectu rose, quæro an ista sit vera, Rosa est substantia corporea: si sic, habeo intantum: si non, ergo rosa absolute sumpta non est in prato: et prædicata primi modi possunt intelligi non ad esse rei, et diffinitio separatur a diffinito, quæ omnia non sunt